

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Proverbium Male parta male dilabuntur**

**Hanke, Gottfried  
Wachtel, Justin**

**Helmstadi, [1698]**

§. V

**urn:nbn:de:bsz:31-102693**

(8) *Anguillis*, veluti piscibus valde lubricis. Anguilla enim manu detenta symbolum est rei e manu nostra cito elabentis. Add. *Christophori Pelleri Politicus Sceleratus impugnatus* i. e. Animadversiones in C. R. C. B. novum Politices Compendium cap. XXXIII.

(9) *Siluro*. Apposite *Divus Ambrosius Hexaemer. Lib. V. cap. V.* Quid interest, inquit, inter divitem improbae cupiditatis ingluvie absorbentem infirmorum patrimonium, & silurum de minorum piscium visceribus alvum replentem? Defunctus est dives & nihil ei sua spolia profuerunt: imo magis eum rapinarum suarum detestabiliorem fecit infamia. Captus est silurus, & inutilis praeda detecta est. Quanti in eo reperiuntur qui alios devoraverunt? & tu dives habes in sinu tuo alterius praedatorem. Ille habebat facultates pauperis, quas invaserat: tu eum opprimens, duo patrimonium facultatibus tuis addidisti: & adhuc tanto non satiaris augmento, & dicis, quod alios vindicaveris, cum eadem committas, quae ulcisceris: injusto injustior, & iniquo iniquior, avaro avarior. Vide, ne idem te, qui piscem illum, finis inveniat: hamum cave, cave retia.

§. V.

Inter Pythagorae Symbola refertur quoque: In via ne seces. Quod Comes *Franciscus Bernius* de pravo quaestu inter alia intelligendum esse censet. Ita enim ille in suis super hoc symbolo conjecturis. Ad eos, qui malis artibus divitias perquirunt, symbolum trahere, fas sit. Opes quaeris? Earum igitur es inops. Malis artibus? Paupertati pravitatem jungis. Pro thesauro si carbones, testas aut folia reperis, magis frustrata

B

frustrata

frustrata his incenditur aviditas, augetur inopia; si verè thesaurum, quod raro, optima in probo viro paupertas, pessimæ in improbo divitiæ. *Male parta male dilabuntur*; duriusque, inopem fieri, quam esse. *Videantur Ejusdem Arcana Moralia ex edit. Pauli Patris pag. 275.* In specie de opibus oppressione miserabilium personarū, e.g. viduarum, pupillorū, pauperum & egenorum acquisitis notatu dignum est dictū Schich Saadi in seinem Persianischen Rosenthal (ex versione Adami Olearii) lib. VIII. n. 96. Sehe nicht in eines armen Mannes Haus/Feuer darauß zu holen/dann sein Mund ist der Schorstein/durch welchen der Rauch seines Hertzens (seynd die Seufftzer) über dich heraussteigen. Eundem fere in sensum Joh. Leonhardus Weidaerus in suis Apophthegmatibus Parte III. pag. m. 258. Ein Werckmeister sagte: Wann man mit armer Leute Schweiß bauet/und mit Witwen und Waisen Thränen düncht/dasselbe Haus leidet den Bauhern und seine Erben nicht lange. Quibus similis est *Euripidis sententia in Electra* versu 943. 944. supra §. 2. inter Adagia Græcorum relata:

Opulentia injusta & cum pravis commorans,  
Evolat ex ædibus ubi floruerit exiguo tempore.

Præterea fingunt Poetæ, Plutum, (qui divitias sonat) à Jove missum claudicare, & tardigradum esse: à Plutone autem, currere & pedibus celerem. Quam fabulam *Franciscus Baco de Verulamio in suis sermonibus fidelibus cap. XXXIV.* etiam de Plutone intelligit, si Plutonem pro diabolo accipias. Cum enim opes *male partæ* à diabolo fluunt, (veluti per fraudes, oppressiones, injustitiam & scelera) rapido cursu feruntur,

runtur, *addimus* : & intereunt. Paulo quidem aliter, ratione autem non plane diversa, Wolfgangus Heiderus in Philosophiæ Moralis Systemate, pag. 113. ex Aristophane, hoc ita effert: Poetæ *Plutum*, si quem accedat, *claudicare*, si abscedat, *pernicissimis esse pedibus* fabulantur.

§. VI.

Fidem his dictis faciunt historiæ tam sacræ, quam profanæ, & imprimis quotidiana experientia, quæ jam olim occasionem huic nostro proverbio præbuit, idem confirmat. Redigamus modo nobis in memoriam ea, quæ nostra, patrum, & avorum nostrorū ætate acciderunt, & exempla reperiemus quam plurimā, *malè parta malè dilabi* attestantia. Evolvisse interim hic non omnino erit inutile *Harsdorffers* grossen Schauplatz jâmerlicher Mordgeschichte. *Erasmii Francisci* Traur-Saal steigender und fallender Herren / & *Christophori Boëtii* Beschreibung grosser Staats- und Kriegs-Minister Glücks- und Unglücks-Fälle / nec non *Theatrum Tragicum Francisci de Rosset*, una cum continuatione *Martini Zeilleri*.

§. VII.

Causæ quæ faciunt, ut *malè parta malè dilabantur* non semper eadem sunt, sed aliæ in hoc, aliæ in alio casu obtinent. Recensēbimus in præsentī præcipuas.  
(1) Socordia & negligentia in bonis malè partis administrandis. Si enim hâc etiam benè parta pessum eunt, multo magis & celerius malè parta idem experientur. Vetus est Apophthegma : *Frons Domini plus prodest, quam occipitium*. Vigilans Paterfamilias est bitrons, Jani instar, qui temporis præses, bina facie quaternisque oculis, ut advigilaret, fictus est à